Kuszewicz Samuelis Αντιπελάργωσις

ΑΝΤΙΠΕΛΑΡΓΩ-ΣΙΣ.



Perillustri et Adm Reverendo Dno, Patrono, Dno Adamo Opatovio S.T.D. et Canonico Eccl. Cathedralis Cracoviens etc.

Illuſtris Teſſera Honoris.



Relligio hæc nuper rapuit Vexilla Gradiui,
Martia ſæcla ruunt. Sacra Fideſq́; vigent.



Perilluſtri & Reuerendiß: Domino,

D. IOANNI BRANECKI,

Archidiacono Pſzczeuenſi, Scholaſtico Varſouieñ.

EPISCOPATVS POSNANIENSIS ADMINIſtratori Vigilantiſſ. Collegij Lubrā: Curatori Munificentiſsimo, Sacræ Regiæ M. SECRETARIO.

STellæ polaris motum, & radios obſeruare, Perilluſtr: & Reuerendißime Domine, antiquitùs nautis vſitatum, ne noſtris quidem temporibus, hæc curioſa venādi Noui Orbis ætas omiſit. Quippe qui aliter ſe capaci fortuitorum mari committunt, aut à portu penitùs aberrant, aut eum non niſi tardè, & magna cum difficultate aßequuntur. Idem quoque mihi faciendum eße video. Quia quàm variæ in hoc mari Syrtes Charybdeſq́; ſint, quàm frequentia multorum

naufragia, generis humani conscientia testatur. Id mihi ne contingat, Te, sine libidine assentandi, in polum eligo: quem & iudicij candor fallere, & prodigiosum illud, omnibusqué naturæ dotibus instructum ingenium, falli non permittet. Si concedis Cliens Tuus ero. Tu mihi esto in Patronum. Iam enim tantùm alijs magnitudine in me meritorum antecellis, quantùm exuperas singulos fastigio dignitatis. Vale, & Viue. Vtinam diuturnior Academicorum recreator, quàm maturior cælitum comes.

Perillustri & Reuerendiss.
D. T.

deuotissimus

M. Samuel Kußewicz.



ΑΝΤΙΠΕΛΑΡΓΩ-ΣΙΣ.



NEMINEM Veſtrûm, ignorare arbitror, Auditores, hanc ſemper á cõdita Academia conſuetudinem, atq; hanc pietatem fuiſſe, vt, ſepoſitâ aliquantiſper ſtudiorum cogitatione, vota, pro incolumitate benè erga literas meritorum proroganda, Clementiſſimo DEO nuncuparentur. Quæ conſuetudo idcirco, Maiorum noſtrorũ voluntate, introducta eſt, vt & Iuuentus ad oſtendendum ple

nissimum pietatis animum, honestissimo exemplo inuitaretur, & quòd illi certè statuerant, nullum maius vitium esse, quàm officio non respondere, & nullam maiorẽ culpam contra hi posse, quàm nullam memoris animi facere significationem. Et est quidem Academicis animus idem, qui fuit semper, vt ad officiosam voluntatis, & affectûs obligati contestationem propensus: sic mirificè contumax & indefessus ad faciendas supplicationes, non prophanis victimis, sed solennibus sacrificijs, non superstitiosâ obseruatione, sed religiosissimâ Pietate. Ne hoc profectò sibi reliqui faciunt, vt in illa laboriosissima vitæ ratione, cùm Nobilissimæ Iuuentutis mentes ad humanitatem fingant, atq; virtutem, sic versentur, vt ad Diuos Indigetes, præcipuè verò ad insignem literarum præstitem, D. IOANNEM CANTIVM, supplicandi gratiâ non adesse patiantur. Solent Academici

sæpius

ſæpiùs, Auditores, non modò pro Reipub: totius (cui magno grati, & memoris animi nexu ſunt obligati) incremento, ſed etiam pro ſingulorum felicitate Deum Opt: Max: caſtiſſimè venerari: & inſignem Pietatem optimè de ſe meritis teſtari cumulatiſſimè. Neq; ſanè virtus vlla in Academia maior, hoc præſertim tam ſæuo, & infeſto virtutibus tempore, reperiri poteſt, quàm ſingularem grati animi voluntatem, ſi non referendâ, at ſaltem prædicandâ[redacted] gratiâ declarare: neq; tanta Nomini Academico macula inuri poteſt, quàm Pietatem, Gratitudinem, Beneuolentiam ab hoc Ordine abiudicari. Itaq; mihi videor hæreditariam, & maximè decentem, & propè diuinam Academiæ conſuetudinem ſuſcepiſſe: neq, in eo magis meæ voluntati, quàm maiorum præſcripto inſtitutoq; ſeruiſſe. Acceſſi enim tùm ad recenſendas, officioſâ veneratione, Virtutes Illuſtriſ-

ſtriſſimi Antiſtitis Noſtri: tum ad exorandam Diuinam Maieſtatem, primùm, vt cũ tantum iter ad maximum mũdi Paſtorem, & Patrem optimum, Vrbanum VIII. pro dignitate Religionis Illuſtriſſ: ſuſceperit, feliciſſimè conficiat: deinde, vt diutiſſimè tam vigilantem Eccleſiæ huius agat Speculatorem. Etenim ſine dubio, Auditores, in hoc fatali opinionum tumultu, quo nulla ætas vidit quidpiam pernitioſius, tales habere debemus ſacrorum Principes, qualẽ iam Illuſtriſſimum Noſtrum, in hac Ampliſſima Exhedra, cognouimus, qualemq; eum maximè velle, & optare poſſumus. Præſul eſt enim, in quo non adumbrata, ſed omnium Virtutum coloribus ad viuum expreſſa boni, atque Vigilantis Paſtoris cernitur imago: qui ſi diutiſſimè Eccleſiam hanc rexerit, deſinent Heterodoxi Sanctiſſimas Cæremonias Sacrorum, pariter cũ bonis moribus, & apertè petere, & occulte cu-

tè cuniculis oppugnare. Tametsi iam primo ad Ecclesiam hanc aditu, explicato virtutis suæ fulgore, aut oppressit infernales illas Harpyas, aut omnes earum motus conatusque prohibuit, tùm ad notandam impiorum calamitatem, tùm ad testificandã suam Virtutem, tùm potissimùm ad augendam Religionem. De dexteritate singulari, quòd Orthodoxæ fidei puritatem, statui Clericali honestatem, Ecclesiæ immunitatem restituit, sunt qui mirentur: mihi illustrem illam, & inusitatam animi magnitudinem, & acre ingenium à natura, & velox, & acutum cogitanti, ac mentis oculos per cætera ab illo, non minùs accuraté, quàm dextrè & feliciter gesta, circumferenti, ne hoc quidem mirandum videtur. Et ego quidem sic statuo, nullius esse tantum ingenium, quod non dico peruidere, ac comprehendere, sed percurrere, ac tueri: nullius tantam dicendi facultatem, tã-

tamq; copiam, quæ non dico ornare dicẽdo Illustriss: Antistitis nostri facinora, sed enumerando percensere possit. Atq; illa quidem prætereo, quæ illo tempore, quo in hominum luce, atque celebritate versari cæpit, gloriose laudabiliterq; præstitit: quorum nomine non domi modó, sed apud exteros etiam, non tacito consensu, sed apertâ omnium voce, sempiternæ memoriæ commendatur. Non dicam hoc loco, *eum Illustriß: nostri in Rempub: & Ecclesiam animum semper fuiße, vt sibi potiùs ad laborum fructus tardiùs perueniendum eße duceret, quã non ita gerendum officium suum, vt in omnibus factis, atq; consilijs illa candida, infucata, & constans sibi in omnibus prudentia laudaretur.* Nihil de illa admirabilili Iustitiæ integritate dicam, qua in florentissimo illo Regni Areopago, homines magnis difficultatibus affectos. atque afflictos, partim in fidem suam suscepit, partim illæsos conseruauit, partim

partim implorantes iura immunitatum, & hæreditatum ornauit; *vt optimo iure Amplissimorum Ordinum Delicium meruit appellari.* Nihil commemoro, quàm solicitè operam, in Sacro sanctis huius Prouinciæ Concilijs, impendit, ne impij aliquando ea, quæ Maiores nostri Religionibus nobis tuta, & sancta esse voluerunt, aut contra Religionem Orthodoxam labefactent, aut etiam Purioris (si ita Dijs placet) Religionis nomine euertant. Prætermitto, quòd in illa Ecclesia Gnesnensi, quæ flos Reipub: ornamentum Religionis, magnorum Virorum theatrum amplissimum habetur, nihil vnquam aggrediebatur, quin præcipua aliqua Diuini Numinis obseruantia, in omnibus eius dictis, & factis eluceret; *Verissimè persuasus, si vel transuersum vnguem à Religione, & Pietate deflexisset, continuò se periturum.* Taceo, quod in aula S. R. M. sagacitatem Politicam, & pietatem Religiosam, res hactenus

ctenus multùm disiunctas, & dispares, arctissimo vinculo copulauit, & admirabili sanctitatis, & solertiæ temperamẽto, Cœlos terris permiscuit, orbem ætheri conciliauit. Missum facio, profundum illud in gerendis Eminentissimi Ioannis Alberti, S. R. E. Cardinalis, negotijs consilium: cùm nullũ, fermè tantũ, ac tam difficile fuerit, quin illud, veluti peritus Nauarchus, & viderit prudenter, & perfecerit constanter. Omittam quod Illustriss: Nostrum Eminẽtissimus Cardinalis non modò sibi præsentem in exteris nationibus habere, sed etiam curarum suarum socium, & adiutorem adiungere voluerit; *cùm vidisset, ipsos etiam casus euentusq; rerum, non duces, sed comites consiliorum illius fuisse.* Sileo fæcundissimũ illud Episcoporum seminarium, Cracouiense Capitulum: in quo nulla res tanta fuit, ac tam difficilis, quàm ille non & consilio rexerit, & integritate tuitus sit, & virtute

tute confecerit; vt vniuerſorum pectoribus infixus, nouo quotidie deſiderio efflo-reſcat animorum. Prætereo quòd in Seueria, atq; Czernichouia ſuæ præſtantis prudentiæ, & commemorabilis in Patriã Pietatis Veſtigia reliquerit, non ad exigui temporis prædicationem leuiter preſſa, ſed penitus infixa ad memoriã poſteritatis ſẽpiternã. Mitto perpetua erga Sereniſſ: VLADISLAVM IV. voluntatis inductionem, cùm illam vos ipſi videritis illo motu rerũ, & conuerſione temporum, cûm iam extremum pene ſpiritum Reſpub: noſtra trahere videretur: cùm Oſmanus, fatale illud portentum prodigiumqué Chriſtianorum, nos, in hoc domicilio libertatis trucidare, & incendio Reipub: ſepelire conaretur. Mitto, quòd ad latus Sereniſſimi Principis, non tantùm ſpectator, & teſtis periculorum fuit, ſed etiã particeps & Socius, quæ ab Otthomanica bellua, vel ipſâ victoria-

rum perpetuitate insolescenti, expectabantur, & temporis incommoditate aduersitatum. Mitto, quàm animosè Patriæ charitatem ex pectoribus illorum, qui in illis turbinibus & fluctibus Reipu: relictâ vrbe, *Veios migrandum esse putabant*, abeuntem reuocauit. Omitto illam diem, quæ illi immortalitatis instar semper erit: quâ ab extremis Roxiæ oris rediijt, cùm Leopoli proceres egressos vidit, populumq; vniuersũ, cùm ipsa Leopolis, propè conuulsa sedibus suis, ad complectendum Nuncium pacis & victoriæ procedere visa est: quæ illum ita accepit, vt non modò omnium generum, ætatum, ordinum, omnes viri, ac mulieres, omnis multitudo, verùm etiam mænia ipsa, in illo confinio aduersus impetum Otthomanicum collocata, viderentur, & tecta vrbis, ac templa lætari. Omitto cætera, quæ sunt & infinita, & maxima: non vagabitur Oratio mea longiùs, atquè his i-

psis definietur rebus, quæ sunt Episcopalis industriæ, & pastoritiæ vigilantiæ propriæ. Iactet nunc antiquitas Argonauem, quæ tãtulo ex Græcia per Pontum facto itinere celebratur: Illustr. Antistes Noster est, qui Gentilitiâ Naui suâ, per tot lubrica loca prætereuectus, cùm variarum virtutum ornamentis, tanquam cum preciosis mercimonijs, ad amplissimos in Repub: honores enauigauit. Producat antiquitas fabulosos illos Argonautas, & in cælestium numerum falsò relatos geminos fratres, Castorẽ & Pollucem, quos salutares, & prosperi cursûs Prænuncios, omnes tempestates, & procellas turbidissimas fugare accepimus: Illustrissimus Noster est, qui honores illos, & præclaræ laudis insignia sibi iure vendicat: qui illas generis humani pestes, Ecclesiæ furias, faces Patriæ, Religionis hostes, Sacrorum prædones, labes ac ruinas orbis terrarum discussit, & dissipauit. Te- Turcas.

 omni-

ftatur Kijouienſis Eccleſia in qua omnia Diuiuo cultui, fanaticorum erronum maleuolentiâ non mediocriter infracta, in integrum reſtituit, debilitata conſolidauit, firma muniuit, multis incõmodis *Vnitatem* debilitatam recreauit; vt diligentiam admirarentur omnes, ingenium cognoſcerent. Quid aliud feciſſe arbitramini Iulium illum Cæſarem, qui quo die ſacerdotium maximum obtinuit, eodem die nummum, veterum more, argenteum cudere permiſit, *cum gubernaculo Nauis* ex aduerſo latere, globo, cornu copiæ, caduceo, pileo ſacerdotali? cùm ſimbolicè ſignificaret, ſe in eo omnes dies noctesque conſumere, vt beatam Ciuibus vitam, id eſt, pacem, & concordiam, diuitias, atque bonorum omnium copiam adferre poſsit? O admirabilem, ô iterum, ac tertiò admirabilẽ Antiſtitem Noſtrum (*Te enim iam appello, & alloquor, qui nunc Romæ, in illo Sanctitatis & Reli-*

Religionis domicilio es) Te admirabilem, inquam, qui non paucis, ſed omnibus, non modò orthodoxis, ſed etiam Græcâ labe contaminatis, non vni tantum ætati, ſed in multa ſæcula, atque propé infinita conſuluiſti: qui, quæ ſint optimi paſtoris, atqué Antiſtitis partes, non tam voce, & oratione, quám moribus ac vitâ declarâſti. Alij Templa, & bona eorum ab iniquiſſimæ fidei poſſeſſoribus vindicare non poterant: Tu omnium literis, atque linguis prædicandâ animi tui præſtantia, ad nunquam intermorituram nominis Tui glrôiam recuperâſti: & plura in poſſeſſionibus Eccleſiæ officioſi laboris, quàm aduentûs veſtigia reliquiſti. Alij ruinoſa ſtabilire neglexerũt: Tu egregijs picturis, ſtatuis, & imaginibus locupletâſti; vt te nullum pietatis aut Eccleſiaſtici decoris amantiorem illa Diœceſis non modò vidit, ſed aut ſperando vnquam aut optando cognouit. Tu piarum

fundationum curam ſuſcepiſti, ac perfeciſti, vt eorum, qui ea fundâſſent, atque inſtituiſſent voluntas diligenter, ac religioſè obſeruetur: illi propter ambulatoriam Ciuium religionem, his manum admouere noluerunt. Iam nobis tùm præſentire videbaris, *Boni & Prudẽtis eſse Antiſtitis, meminiſse ſe Speculatorẽ: cogitare Religionẽ ſibi à Deo immortali commiſſã, & creditam eſse: & non ſolùm ſibi ſacerdotum, verùm etiã vniuerſæ multitudinis curã eſse meminiſse: debere, qui aberrarunt, reuocare: qui permanſerunt, confirmare: & ſemper non quid ipſe velit, ſed quid ſalus publica, & Religio cogat, cogitare: exiſtimare neceſſe eſse, vt à ſe, ſalubri quodam temperamento, in alios, veluti radij Sacroſanctæ poteſtatis diffundantur.* Quantùm in Kiiouienſi Eccleſia virtute ſuâ præſtiterit, videtis. An illum in Præmiſlienſi Diœceſi nihil animi robore, Epiſcopaliquè vigilantiâ valuiſſe dicturi eſtis, quâ ſibi per vniuerſum Regnũ, nunquam intermorituram immortalitatem

tem comparauit? O felicem Diœcesim! ô multa grauiaque iudiciá quæ de Illumi. Nostri ardore singulari, de studio Religionis, non modò conseruandæ, sed etiam amplificandæ, maximi in Repub: Sacrorum Administri, atqué. Amplissimi Senatûs Principes fecerunt! ò potentissimi VLADISLAI Quarti (*quem Regem dum nomino, satis mihi ad omnem laudem, atque gloriam dicere videor*) inusitatam sapientiam, egregiamque vo. cem, quam præ se, indicem erga Illustrissimum voluntatis ac studij tulit, quâ prouidentem eiusdem ingenij dexteritatem, & sapientem prudentiam, in defendenda Ecclesiæ immunitate confirmauit. Te denique appello tempus illud, conscium eius consilij atque particeps: Vos in Præmisliensi Ecclesia Sacerdotes, testes eiùs conspicuæ virtutis, vos etiam virgines religione Sanctorum consecratæ, vos Viri Religiosi qui vestri Antistitis tùm animi fortitudinē

exi-

eximiam, tùm rerum gerendarum ſcientiam, conſtantiam, variam intimamque doctrinam vidiſtis illo tempore, *cùm omnibus vobis oſtendit, immunitatum defenſionem, & Sacri Ordinis dignitatem, ita altè in pectore eius radices defixiſse ſuas, vt illud nullius furor frangere & debilitare poſsit.* Vos erronum fana, vos ſuperſtitionis delubra imploro, voſque, qui veſtro Sanctiſſimi Spiritus maieſtatem cerebro metientes, qui in eodem turribulo ignem ſacrum & Prophanum imponentes, ſæpe Illuſtriſſimi audito nomine ſubitâ formidine trepidaſtis, quid vnquam veriùs faſſi eſtis, quā cùm affirmare non dubitâſtis, Illuſtriſſimum Noſtrum plures virtutes obtinuiſſe, quàm alij concupiſuerunt: plura ornamenta in animum ſuum congeſſiſſe, quàm cæteri de illis legerunt: plura inuiolatæ erga Romanam Eccleſiam pietatis argumenta præſtitiſſe, quam alij cognouerunt. Quid de illa orationis grauitate,

uitate, Principis & Ordinum animos demulcente dicam? quæ non præteruecta est aures vestras, sed in animis omnium penitus insedit: quæ iam tùm recens incredibilis multis, quibusdam admirabilis, nunc omnibus salutaris, extollenda & imitanda meritò videtur. *Ita semper manifestus est virtutis splendor, vt sicut facis ardentis lumen occultari non potest, quin illud omnes videant: sic virtutis claritas celari nequit, quo minùs bonorum ciuium animos, atq; oculos in se cõuertat.* O vtinam audire nobis omnibus licuisset, salutaria illa de Repub: & Ecclesia, in Comitiorum æstu consilia! ô vtinam amplissimi Senatus penetralia illa, in quibus, sine gratia & ambitione, bonæ tantùm conscientiæ precio ductus, Ordines periculorum, à diuersa religione communi impendentium saluti, præmonuit, intrare licuisset, statueremus profectò, in cæteris posse dari assentationi locũ, in Episcopis & Senatoribus,

 quos

quos maiores Nostri Præsides libertatis, cu stodesqué esse voluerunt, veritati. Ego autẽ sic perspicio, sic iudico, nisi vnus An tistes noster suâ orationis vehementiâ, suâ grauitate, suâ constantiâ, velut alter Azarias, dixisset, *exitiosam illam sphingen, Typhonis & Echydnæ filiam*, iam pridem in Regno habuissemus: *quæ quot corporis sui partes, tot penè formas habet, quæ vultu & pectore Fæminam, alis Aquilam, pedibus caudâqué Leonem mentitur.* Quid commemorem quàm sit de hac Amplissima Ecclesia solicitus, quæ perspicuo supremi Numinis fauore, prudentissimo S. R. M. iudicio (*apud quem Achilles Homericus quæri non potest, vulgari honorem, & laudis ornamenta indignis tribui*) ad eum, ante quatuor annos, delata est? Quam ego solicitudinẽ, ac multis magnisq; in rebus cognitam, & spectatã curam, cùm sæpe numero animo profundiori reuoluo eius modi esse animaduerto, vt fateri vel po tius

tius profiteri debeam, in Illustrissimo Antistite Nostro omnia grauissimorum Antecessorum merita, ita nouo exemplo efflorescere, vt omnium eorum in se non solùm effinxerit imaginem, sed etiam consequenti ætati, quod sequatur, dederit. Placuerat quondam Francorum genti, in maritimis rebus exercitatissimæ paratissimæqué, vt quacunqué sibi regione, vrbis condendæ locum sedemq́; deligerent, eidem loco & vrbi *Nauem amplissimam*, *Nautici sui honoris & antiquitatis notam perpetuam* dicarent. At Illustrissimi Nostri diuina, atq́; eximia virtus, non vnius duntaxat, aut alterius loci angustijs premi, atq́; alligari debebat: sed tot locorum, ciuitatum, Regionum amplissima spatia peruagari, ad extremũ hìc *Gẽtilitij decoris vestigia perpetua*, & nunquam intermoritura laudis in prime re ornamenta. Nam quis hoc non videt, quod singulari quàdem Dei immortalis pro

uidentiâ, his impeditis Reipub: temporibus, datus Diœcesim hanc, (*in qua clementißimus Deus turrim illam Dauid cum propugnaculis constituit, & ad Nominis sui gloriam propagandam hostiumq; impetus retundendos, mille Clypeos, & omnem armaturam fortium appendit*) tueri & decorare proposuit? Mitto quòd incredibilem Illustrissimi constantiam, atq; probitatem multorũm impietas compressa, officiosos labores vniuersa Diœcesis, imo vniuersa Respub: declarârit: ardorem verò ac Religionem, quòd Caliginosas Lutheranæ prauitatis tenebras, ex afflictæ Germanię reliquijs hîc concitatas discusserit. Relinquo, quòd veterem illam magistram pudoris, & modestiæ, aspersam comitate grauitatem, conditam benignitate seueritatem reduxerit: quòd notorias quasuis labes ex Clero euallat, & exterminet prætereo. Nec hæc idcirco omitto, non quòd non grauissima sint: sed quia à me

me pro dignitate dici non possunt. Iam si liberalitatem eius, si beneficentiam persequi velimus, nullius vnquam orationis limitibus, atque cancellis poterit contineri. Quando, quod honeste ab eo petiuisset aliquis non impetrauit? quem ille egentem vacuis à muneribus manibus dimisit? Ludouicum Alestinum Cardinalem nuper in ea vrbe habuimus, in quà, cùm tanquam in publico Christiani orbis theatro, tot annos admirationi fuisset, thesaurus pauperũ, Sacri Collegij splendor, aulæq; Romanæ ornamentum dici meruit. Nam quod alij in vastis ædificiorum molibus, & otiosis structuris erigendis insumebant, id ille totum demerendis hominum per liberalitatem voluntatibus, ac tenuiorum fortunis subleuandis impendebat; *eas solas fundatas, atque optimè constitutas opes possidere se ratus, quas amicorũ necessitatibus non rogatus donâsset.* Non aliter Illustrissimus Antistes, nec quic-

 quam

quam generosius velle, nec gloriosius præstare potuit, quàm vt in hoc editiori Ecclesiæ & Regni fastigio positus, præsidium amicis, opem socijs, salutem periclitantibus, Ecclesiæ decorem adferret. Sentiunt Tuam munificentiam viri Religiosi, Antistites Illustrissime (*Tecum enim iterum loqui libet, si qua vox nostra ad Te per tot regiones peruenire potest.*) Sentiunt, inquam, viri Religiosi, quos Tu amplissimis muneribus auxisti & *opimis intestatorum hæreditatibus ornatos dotasti.* Experiuntur cæteri Nobilissimi Regni huius Ordines: in quibus subleuandis liberalitate Tuâ honori velificari voluisti: *cùm non ignores, hanc esse virtutem quæ maiorem gloriam, & studia maiora paret, atquè conseruet, vt sine qua neq; suas opes firmare, neque gloriam vnquam consequi quisquã potest.* Te extollunt inopes altorem, & educatorem suum: Te miseri & afflicti quasi cognitorem; Te tutelam suam pupilli appellant

pellant; Tuum aduentum calamitosi profluentibus lachrymis gementesq; peroptãt; illi ipsi qui omnium rerum copijs abundantes Tui minus indigere videntur, tamen tã fidelem defensorem bonorum omnium desiderant, *exemplum virtutis, imaginem antiquitatis, columnam Reipub: liberalitatis domicilium dicunt se expectare.* Magna mihi est memorandi copia, quæ à Te liberaliter munificeq; donata sint. ex quibus perspici facilè, ac cognosci possit, à Te non solùm mortuorum famam, sed etiam viuentium gloriam victam esse, atqué superatam. Verùm non obscura hæc sunt: & eorum famâ celebrantur aures quotidiæ vestræ cũ amplissimis nominibus virtutum, & honoris ac veræ dignitatis: Illud certè mihi verè dicturus esse videor, in sanctissimis illis grauissimisq́, Illustrissimi prædecessoribus alia ornamenta fuisse paria: at exornandæ Ecclesiæ studium maius, & in Templo hoc augu-

augustissimo restaurando, & locupletando maiorem beneficentiam in Hoc extitisse. Quid illud, quòd potest Lubranscium nec à Maioribus audiuimus, nec in monumentis doctissimorum virorum legimus, de Hoc ipsi toties vidimus, quantum est? quòd cùm sciat, illos qui eò vsqué procedunt audaciæ, vt non vereantur studia literarum despectui habere, parem turpitudinem manere, ac qui Sacrorum contrectatione templa violant Deorum immortaliũ, nihil antiquius habeat, quàm vt in his Musarum campis & hortis teneræ stirpes insitæ tanquam in pinguiori salubriorique solo, sub vigili moderatorum cura, vtilius educentur, vt in rerum præstantissimarum spem & frugem adolescant. Quid quod Coloniam hanc Academiæ Cracouiensis, Polonâ libertate, & ingenuâ institutione mistam, ac benè compositam, procul à turbis & strepitu vulgi, collocatam, augeat &

at & tueatur? *cùm non ignoret tamdiu Græcos & Romanos floruisse, quamdiu iuuentutem Præceptoribus, publicæ libertatis amantibus subijcerent: sed quando seruis & externis filiorum curam demandârunt, mores Ciuium fuisse corruptos, & Rēpub: haud parùm detrimenti accepisse.* A quo Antistite vos, Academici mei; id quòd maximè probare possum, tanta & tā præclara beneficia sensistis? An vero vllos tam horridos montes, & tam inaccessas rupes in Regno hoc esse putatis, quò non Illumi Nostri, verè paternæ erga vos beneuolentiæ fama peruaserit? cûm & publicè, & priuatim fateri soleat, *se nihil prius antiquiusq; habere quàm vt proxima quæq; erga vos promerita instrumentum sequentiū habere possit.* Itaque libētissimè prædicabimus Antistitē Nostrū comitate & liberalitate æquè vt Lubrasciū, amore, euigilatis studijs, cæteris denique id genus officijs, præcipuè pro dignitate nostra laberâsse. Hic tuam, Ioannes Lubransci, cùm Tu olim præstantius

nihil Academicis literis haberes, munificētiā tuer? : Hic effusā Tuā liberalitatē auxiliari manu ornare, & augere maximé satagit: vt nec plus ab illo sperari, nec faciliùs spei nostræ responderi potuerat. Aduētāte fatali Macedonum Imperio Romanâ Classe, influentibus in Macedoniam, innumerabili prope agmine Italorum, ferunt Lauream in puppi Nauis longæ enatam, felicissimi successûs, & insignis victoriæ præsagium fuisse: cum magni homines, spectati viri noluerint, nisi prospera quæque ex ea arbore ominari: nos etiam qualis hîc literarum nostrarum successus futuri sint, dubitabimus? cùm non sine literaria diuinitùs effectum sit fortunâ, *vt eam Nauem habeamus, quæ Parentem & propagatorem rei literariæ, tanquam viridem, & nunquam marçescentem Laurum, literis Academicis produxit.* In spem maximam, & quemadmodum confidimus verissimam adducti sumus, hoc ipsum tempus,

pus, hoc Antiſtite, concuſſâ maleuolorum licentiâ, æmulatione fractâ, legibus & immunitatibus poſtliminio reuocatis, ſalutare Academicis fore. Hîc iam interrupta me a Oratio (ſi tamen, eſt Oratio, ſermo rudis & inconditus) hærebit: hîc vobis mea dicendi infantia innoteſcet. Virtutes enim Illuſtriſſimi, Noſtri de quibus omnis poſteritas, & ſine inuidia & ſine odio incorruptè iudicabit, quæ ſparſæ per meā Orationē, diffundi volebant, hoc in loco mihi occurrūt: quarum tanta eſt maieſtas, vt in illis enumerandis, Attica etiam diues eloquentia, non dico mea inopia, facilè conticeſceret. Habet mediusfidius, habet ſingulares minúſque communes Illuſtriſſimus Noſter virtutes, quibus inter cæteros Eccleſiæ Dei Speculatores, ſicut inter gemmas, gēma precioſiſſima, inter monilia, monile precioſis lapidibus ornatiſſimum, inter ſtellas ſtella clariſſimo lumine ornata, re-

ſplendet. Sed ego ſic exiſtimo, & vos exiſtimare debetis vniuerſi, cùm in omni genere, ac uarietate virtutum, etiam illarum, quæ rarò diuinitus hominibus tribuuntur, Antiſtes Noſter excellat, ſingularem quandam laudem eius, & præſtabilem eſſe virtutem, quòd Te hoc tempore (*Te compello Reuerendiſsime Domine Ioannes Branecki*) in partem curarum ſuarum, non caſu, ſed Diuino conſilio, & omnium deſiderio id expoſcente, vocauit: quòd tuæ fidei optimæ & ſpectatiſſimæ, integritatem Sacrorū commendauit, qui videre, & veluti ex ſpecula proſpicere potes, nequá tempeſtas excitetur, nequà impendeat Eccleſiæ procella Video iam, profectò video, quo deſiderio, & quàm longo interuallo Illuſtriſſimus Præſul talem ſibi aliquando dari exoptauerat, qui grauiſſimum hoc munus in Eccleſia obiret: & qui in hac ſylueſcente vinea Chriſti excolenda, ſibi auxilio foret.

ver-

Versantur Tibi, Reuerendissimè Vir, in animo multæ & graues cogitationes, quæ Tibi nullam partem, neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impertiunt; primùm administrandæ Diœcesis: quæ cùm semper est difficilis, & magna ratio, tùm verò hâc tempestate grauissima, deinde subeandarũ pro tuenda immmunitate Sacri Ordinis offensionum. Tu Tu Vigilantissimè Diœcesis Administer es, quo nullum vnquam audiuimus, qui de iure subtiliùs dicere videretur, nullum de dignitate Ecclesiæ, de exemplis maiorum acutius, nullum peritiùs de Sacrorum Religione atquè cultu, nullum Illustriori authoritate de antiquis Cæremonijs, quibus diuini honores habentur, nullum de Antistitis dignitate grauius, nullum *de se ipso modestius*: vt nullo tempore Tui nominis decus, per tot pectora resplendens, intermoriturum sit. Tu in hác Illustrissimi Naui pelagius es, (hunc seruatorem Naui-

 ganti-

gantium Plinius appellat) qui vbi fluctuates in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum cæteras Naues in fluctibus, atque procellis agi animaduertes, prænatatione Tuâ, tutissimum iter demonstrabis. Tu supremus in Diœcesi Religionis interpres, *perniciosas nostri sæculi Druidum explanationes, in paradoxis, & paralogis dogmatibus inclusas deprehendisti*: vt à bona fortuna ad id accommodatus viderère. Tu, varietate rerum, atque vsu ipso iam edoctus, *periculorum indicia: Tu salutis auxilia ad supremos in Regno Dictatores detulisti: Tu Sacrosanctæ Synodi, quæ nunquam aberrauit, authoritatem retinuisti:* Tu in patrimonio Christi Summorum Pontificum interpositam authoritatem sustinuisti contra inuidiam, atque defendisti ab ijs, *qui tantâ cupiditate Ecclesiæ possessiones amplexi tenebant, vt ab his omnia diuelli igne citiùs, ac distrahi posse videremus*, non ignorans quid debeas loco, quem inter homines

mines, ſupra cæteros es conſecutus. Hæc Tua virtus & felicitas tanta facit, vt quemadmodum qui oculorum aciem in ſolem intendunt, non facile illius ſplendoris vim & magnitudinem perferre poſſunt: itaquā-diu in Tuæ virtutis ſplendorem, & lucem intueor, penitus mihi mentis aciem, & ingenij perſtringat, vt ad quem exitum dictionem meam perducere debeam, magnopere mihi conſtare queat. Et ſciebam quidem, eò iam homines huiusce ætatis ſapientes peruenire ingenio potuiſſe, vt artificioſis oculorum auxilijs, non ſolū lucem intrepidi, verùm etiam colores curioſi in ſole notàrint; nihilominus quia verebar, ne aliud eſſet animi & cæli, corporis & cordis; ſolis & Sacrorum Adminiſtri ſpectare lucem, non ſum auſus in Tua luce ſpectanda, Mathematicorum ſequi diſciplinam. Itaque omittam iam Te, Reuerendiſſime vir, Oratione meâ reliquâ: ſed vos, Auditores,

res, animis ac memoriâ tenetote, de eximia prudentia, de singulari virtute, de clarissima authoritate. de liberali munificentia, de insigni defendendæ ornandæq; Ecclesiæ studio, de animo arduis innixo consilijs Nostri Antistitis. Ac mihi quidem, Auditores, cùm illæ admirandæ sunt visæ virtutes, atque animi ornamenta: tùm facilè ijs probari. posse animaduerto, Antistitem Nostrum dignum, votis, & comprecatione esse: dignum, vt nullo tempore, eius Heroicæ virtutes, aut uetustate aboleātur, sed in eius, quæ eum exceptura est, posteritatis memoria crescāt, famâ populorum celebrētur, viuāt in sensu, & omnium admiratione. Sustinebunt non nulli se tot beneficio, tot meritis, tot ornamentis, tot præsidijs firmissimis, à vigilantissimo Speculatore, tot virtutum, facinorumque monumentis non teneri? tanto Antistiti felicissimam benedictionem à Deo Immortali non

li non euocare? qui neque valetudini, neq; prouectæ iam, multisque erga Ecclesiam meritis onustæ ætati parcens, officiosissimum iter ad Vrbem illam, Sanctissimæ Religionis sedem, supremæ virtutis monumentis longè clarissimam, suscepit. Sustineant. Reperientur in Academia, qui victuris in inuidiam fati, in iniuriam annorum, monumentis, certitudinem famæ optimo Antistitum, hîc ad Vartham, vbi nunquam satis laudanda beneficētia eius, Academicis literis conseruādis inclaruit, adstruent, & immortalitatis memoriâ prosequentur. Erunt in Academia, Auditores, qui non ratione dierum, aut mensium, sed operum multitudine, & rerum gestarū numero felicitatis huius tempora metientur, cùm ad gloriam posteritatis, tùm ad commendationē generis Szoldrscy insignem. Erunt in Academia, qui ad Diuorum Tutelarium huius Regni Mausolæa, precabuntur, vt plenà


tam annorũ, quã meritorũ maturitate, maioribus in Patria, & Ecclesia auctus præmijs gloriosissimè felicissimèque viuat: qui Pietatem eius erga Patriam, non vnius diei cõmemoratione, sed æternitate & immortalitate donabũt; qui eius singularẽ dexteritatem, & incredibilem prudentiã, non solùm naturâ corroboratam, sed etiã disciplinâ extollent. Quapropter quod quolibet trimestri in Academia, more institutoq; Maiorũ facere solemus, Deũque Immortalẽ precari, venerarique atque implorare, vt Numine suo & auxlio benè de Academia merẽtes tueatur; id die hodiernâ profelicissimo Illust. Nostris successu, inprimisq; pro reditu longè desideratissimo, faciendũ esse arbitror. Itaq; extremum illud est, vt orẽ obtesterque Te, cui submissa tota hæc terrarũ moles, quem æther ipse, & astra agnosũt authorẽ, cui oceanus orbis metator & omnis illa indomabilis vis aquarũ, & cui quid

quidquid natū est, paret, Illust. Nostro mittas illud præsidiū, quo se vallatū sēsit Iacob, cùm castra Dei se conspexisse testificatus est. Extremū illud est, vt orē obtesterq; Te, qui huic loco tēploquè præsides, qui omniū mētes eorū, qui Ecclesiā, Sponsā Tuā gubernāt maximè perspicis, vt Illust Nostro cælestes mittas exercitus, qui ipsius salutē tueātur, & ab illo, quolibet momēto omnem impetū, atq; furorem hostiū propulsēt. Adsumus magno studio Academici omnes, & laboramus: hunc patronum literarum, defensorē Ecclesiæ, custodē libertatis, si hoc tēpore præsētē habere nō possumus, in hoc tamē itinere, quod deuotissimo animo ingressus est, per Te, humanæ salutis parēs, atq; sequester; defēdi cupimus. Te etiā nō iā cōferēda hominibus, sed præferēda cælitibus, Dei Mater & Virgo, in cuius fide & cliētela Illust. Nostrū cōstitutū certò arbitramur, cuius in eū voluntatē iā spectatā, & cognitā

 per-

perſpeximus, eiusdē nūc incolumitatis & ſecuritatis cauſā vt ſuſcipias, ſolennni precatione atque ritu obſecramus. Non erubeſcimus tenuitatē & infirmitatē noſtrā profiteri, cū quibus in conſpectum Filij Tui venire non audemus: ne repulſā patiamur miſeri, qui nos, & preces noſtras Tibi, cui reclusus eſt quotidie liber ad Diuiniſſimā Seruatoris Noſtri maieſtatem acceſſus, offerre debemus. Vide quàm non erubeſcamus: vide quanta lux clementiæ, & benignitatis Tuæ nobis ad pedes Tuos iacentibus oboriatur. Tibi Regum ille Dominus, Inſtitutorq́, ac nutritor Principum Deus, orationes noſtras, purgandas permiſit. Te in Aduocatam Noſtram apud ſe delegit; Antiſtitem habemus, qui Religionis cauſâ, apud Pontificem Opti. Max: Vrbanum Octauum verſatur: Tuâ cuſtodiâ & protectione illum ita munias, vt ad pietatis & iuſtitiæ incrementum vſurà huius locis per
fru-

fruatur diutiſſimè. Vos etiam ô vitæ no-
ſtræ ſalutiſquè Diui Tutelares, qui & ſi de ve
ſtra felicitate, immortalitateque ſecuri, ad
huc de nobis ſoliciti eſtis, noſque in huius
noſtræ mortalitatis ſanguinolenta arena
omnibus caſibus expoſitos intuemini: A-
deſte veſtro præſidio, atque ope tutamini,
vt Illuſtriſſimum Noſtrum è tam lõginquo
itinere ſoſpitem & incolumem habeamus.
Te autem præcipuè Diue Ioannes Can-
ti, cui Academiæ, & noſtrorum ſalus pe-
culiari, & arcano ritu dedicata, implora-
mus, atquè obteſtamur, Suffragijs Tuis fe-
liciſſimum in Patriam reditum impetres Il-
luſtriſſimo Noſtro, vt Seruatoris Noſtri
Religio, & Sponſa eiũs Eccęſia, ex tot tan-
tiſque fluctibus & procellis Antiſtitis No-
ſtri Pietate, in optimum & tranquillum
portum iam inuecta, eiuſdem Seruatoris
Noſtri pace, cum immortali Antiſtitis
Noſtri gloria, diuitiſſimè per-
fruatur Dixi.



CRACOVIÆ.
In Officinâ Typographicâ Va
lerianiPiątkowſki, Anno D.
M. DC. XLI.